

rentur; postea gentiles per annos trecentos; denique hæretici, qui gentiliū persecutioni successerunt, nec desinent vexare Ecclesiam usque ad mundi finem.

VI. Quæ pœna irrogata refractariis? Resp. triplicem indicari: iram regis, perditionem rebellium et incendium civitatis eorum. Has imprimis experti sunt Judæi, quibus, primo, Deus postquam per annos fere quadraginta frustra eos expectavit ad pœnitentiam, tandem iratus, subtraxit vultum gratiæ suæ, reprobando eos, et in eorum locum vocando ad se gentes; quod Judæis denuntiatur paulo ante excidium per strepitum et vocem exeuntem e templo (angelorum absque dubio) ac dicentium: *Migremus hinc, ut auctor est Josephus Judæus, l. VII. de bello c. XII. et Tacitus gentilis, l. V. hist. Deinde, missis Romanorum exercitibus, duce Vespasiano et Tito perdidit eos variis modis, fame scilicet, peste, gladio hostili et captivitate. Sane Josephus colligens interemptorum et captivorum numerum, (ut qui præsens facile inisse potuit) ait: « Captivorum quidem omnium, qui toto bello comprehensi sunt, nonaginta et septem millia comprehensus est numerus: mortuorum vero per omne tempus obsidionis, undecies centum millia. » Addit idem, fuisse eo tempore (paschali) numerum eorum, qui puri erant adeoque azyms vesci poterant ad vicies centena et septingenta millia. Reliquorum etiam ingens fuisse numerus debet: *Tunc ergo, inquit, velut in carcerem tota gens fato conclusa est et sarta hominibus civitas obsidebatur.* Captivorum alii ad opera damnati in Ægyptum: alii formosiori corpore triumpho servati et Romam abducti sunt: plurimi robusti per provincias missi ut cum bestiis pugnarent in theatris: qui infra decimum septimum annum erant, venditi sunt vilissimo pretio, quod deficeret eis annona, nec essent emptores, Joseph. l. VII. c. XVI. Denique, civitatem eorum et metropolim Jerosolymam succendit. Nam imprimis cum Titus turrim Antoniam prope templum pugnaret, edixit quidem, ut ne templum incendio vastaretur. Verum ipso absente miles quidem ignem per fenestram auream inseruit, qui templum omne paulatim corripuit, et cum Titus interveniens magnis clamoribus juberet incendium restingui et parci templo, non potuit ob tumultum audiri; sicque grassans incendium nulla potuit ope sopiri: postmodum capta civitas et ipsa inflammata est, soloque prostrata (tribus tantum turribus, Phaselo, Hippico et Mariamne, eum exigua parte muri, exceptis), ita ut: *Qui ad urbem postea accessissent, habitam aliquando esse vix crederent, inquit Josephus, lib. VII. c. XVIII.**

VII. Quid significat vestis nuptialis? Resp. significare charitatem, non autem fidem vel Christum, ut volunt hæretici. Primo, quia vestis hæc desideratur in eo, qui ad nuptias intravit et cum aliis consedit; ergo per fidem debuit jam intrasse in Ecclesiam; qui enim fide carent, non veniunt ad nuptias, ut illi qui in prima et secunda legatione neglexerunt venire. Unde S. Gregor. hom. XXXVIII. in evang. ait: « Quid fratres charissimi exprimi per nuptialem vestem putamus? Si enim vestem nuptialem baptismata vel fidem dicimus, quis sine baptismate et fide has nuptias intravit? Eo enim ipso fortis est, quo necdum credit: » et infra: « Qui ergo per charitatem venit ad homines, eandem charitatem innotuit esse vestem nuptialem. » Secundo, quia rex vocat eum amicum: non erat amicus per charitatem, erat ergo per fidem; qui vero et fide carent, nulla ratione amici Dei sunt. Unde Gregorius ibid. recte sic exponit: *Amice per fidem, sed non amice per operationem.* Tertio, quia vestis nuptialis gestari a Christiano etiam in altera vita debet; cum ibi nuptiale convivium primum solemniter incipiat: atqui sola charitas manet nobiscum in gloria, fides et spes vacuantur et desinunt: comitantur nos ad portam regni cœlorum, non ingrediuntur nobiscum; sola: *Charitas nunquam excidit, l. Cor. XV.* Quarto, quia pœna proportionari solet culpæ, Sap. XI. *Per quæ quis peccavit, per hæc et torquetur.* Iste autem ligatur manibus et pedibus, quia per charitatem operari noluit: mittitur in tenebras, quia dilexit peccatorum tenebras: mittitur ad locum fletus, quia flere hic peccata sua noluit.

Neque etiam imputativa Christi justitia dici vestis nuptialis potest, ut volunt alii hæretici; quia vestis adhærere convivæ debet; et potuisset alioquin iste miser dicere, sufficere sibi vestem sponsi illius splendorem sibi imputandum esse. Charitas ergo est nuptialis vestis, quia vestis instar inhæret nobis et adornat nos facitque Dei filios: operit etiam seu delet multitudinem peccatorum: defendit contra frigus et æstum tentationum, etc.

VIII. Cur unus tantum deprehensus sine veste nuptiali inter tot convivas? Resp. primo, per unum hunc designari omnes eos, qui fidem sine charitate et operibus habent: *In hoc uno homine non vestito veste nuptiali, inquit August. lib. contra Donat. c. II. grande quoddam corpus figurari omnium malorum ante Domini judicium convivio Dominico, permissorum etc.* Secundo, ut ostendat Dominus ne unum quidem in tanta turba latere eum posse nec tutum esse, eo quod unus sit; quia: *Non introibit in cœleste convivium aliquid coinquinatum, Apoc. XXI.* Coram hominibus unus

forte inter multos latere potest, at non coram Deo. Tertio, quia quilibet peccator ita iram Dei portabit, ac si ille solus puniretur: nam socios habere pœnarum nihil ibi proderit. Denique, fortassis (non enim certum est hoc) indicat majorem saltem Catholicorum partem (nam si parvulos post baptismum in innocentia mortuos simul computemus, non videtur dubitandum) salvandam, eo quod plerique omnes in fine vitæ saltem suscipiant sacramenta; quibus expiati salutem consequantur: *Superexaltat enim misericordia Dei judicium, Jac. II.* hoc est, misericordia vincit justitiam. Ita ex Silvestro fr. Suarez, de Deo trino et uno, l. VI. c. III.

IX. Quæ pœna plexus est, qui deprehensus sine veste nuptiali? Resp. primo, ligatum fuisse manibus et pedibus; quod indicat, primo, eum more facinorosorum in carcerem et vincula coniectum: secundo, ex mente Theophylacti, quod post hanc vitam non sit amplius potestas operandi aliquid, quo vel præmium vel pœnam mereatur: tertio, quod inferi certo loco addicti et quasi vinculis constricti sint, nequeant se a pœnarum sævitia defendere manibus, aut pedibus effugere: quarto, quia bene operari cum possent, noluerunt, in pœnam constringuntur eis membra, quod non exiguum cruciatum gignit.

Secundo, missum seu ejectum fuisse e consensu convivarum, quod indicat: primo, pœnam damni, quæ consistit in privatione gloriæ, et omnium bonorum cœlestium, paritque in damnato immensam tristitiam, quando is considerabit se infinito bono et quidem in infinitum seu

æternum cariturum. Indicat secundo, eum in genti impetu et horrore abjiciendum a conspectu Dei in locum a Deo et cœlo remotissimum, infernum scilicet.

Tertio, missum esse in tenebras exteriores; quod significat: primo, infernum fore locum obscurissimum, subterraneum, omnique luce destitutum, nisi forte in quantum suas et suorum pœnas damnati intueri debent. Secundo, juste eos puniri tenebris, qui lucem spiritualem et divinam contempserunt. Exterioribus vero; quia cum tenebras internas habeat hic peccator (dum instar noctuæ videt solum externa et profana, ad interna vero et spiritualia, in seipsum et conscientiam suam cæcus est), ideo patietur ibi tenebras externas, in quibus nihil videat rerum externarum, sed internam tantum stultitiam et confusionem suam.

Quarto, fore ibi fletum et stridorem dentium, hoc est, gemitus et ululatus immensos una cum extrema pœna sensibili. Fletus indicat summam animi tristitiam ex apprehensione summi boni amissi, et summi mali contracti: stridor dentium summos corporis dolores ab igne et aliis pœnis externis. Cruciabitur ergo anima et corpus: illius cruciatus vermis, hujus vero ignis vocatur a Domino: animæ dolorem fletus, corpore vero stridor dentium indicat.

Tanto igitur et tam terrifico exemplo admoniti, enitatur, ut postquam jam ad nuptias Filii Dei vocati sumus, vestem nuptialem nobis comparemus, ne alioquin in socordia deprehensi, idem cum isto judicium experiamur.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

NUPTIÆ CHRISTI TRIPLICES: CUM NATURA HUMANA, CUM ECCLESIA, CUM ANIMA FIDELI.

I. Cum natura humana. — II. Cum Ecclesia. — III. Cum anima cujusque fideli.

THEMA.

Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Matth. XXII.

Sponsus quidem audivimus filium regis factum in hocferno evangelio; sed quæ ejus sponsa? Non unam assignant patres, qui hanc parabolam exponunt, sed trifariam. Alii natu-

ram humanam, quam sibi Dei Filius univit, et quasi despondit in utero matris suæ: alii Ecclesiam, quam in cruce sibi copulavit: alii animam cujusque fidelis, quam sibi despondet in baptismo, et post lapsum, in pœnitentia. Consonat huic triplici Christi desponsationi trina illa promissio sponsalium apud Oseam, cap. II. facta a Deo, dicente: *Sponsabo te mihi in sempiternum: et sponsabo te mihi in justitia, et judicio, et in misericordia, et miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide; et scies quia ego Dominus.* Triplicata hæc desponsatio triplicem indicat sponsam, quam sibi despondit Christus, et partim adhuc despondet celebratque cum eis nuptias plane admirandas, de quibus hic agemus.

I. Nuptias contraxit cum natura humana, quando eam sibi univit Dei Filius in hypostasi sua divina. Et de hac intelligit hodiernam parabolam Sanctus Gregorius, hom. XXXVIII. in evang. *Cum humanam naturam, inquit, Verbum divinum assumpsit, tunc Pater Filio nuptias fecit, quando hanc in utero Virginis humanæ naturæ conjunxit:* et S. Augustinus, in I. L. homiliarum, hom. XXXII. *Ipse, inquit, qui tamquam sponsus processit de thalamo suo, de utero scilicet, virginali, ubi sanctæ nuptiæ factæ sunt.* Verum non communi, sed novo et miro modo: in nuptiis enim hominum (ut advertit etiam S. Gregorius) duæ solent conjungi personæ; in his autem non duæ personæ, sed duæ naturæ in una tantum persona sunt copulatæ. Harum internuntius et quasi paranympus fuit Gabriel archangelus, consensum Virgini persuadens ut de immaculato et virgineo utero suo sponsam Dei Filio traderet, carnem suam.

Admirandæ fuerunt hæ nuptiæ. Primo, quia sponsus erat summæ et divinæ majestatis, sponsa vero erat infimæ conditionis et summæ miseriæ, infinito intervallo a sponsi dignitate disjuncta. Tametsi enim caro, quam a Virgine acceptam induit, pura ab omni labe erat, miseris tamen aliis, quas patiuntur homines, subjecta et obnoxia fuit, infirmitati, paupertati, mortalitati: quemadmodum et ipsa natura in aliis hominibus (extra Deiparam) foeda et abominabilis est ob peccatum originale. Solent homines plerumque nuptias ambire vel ob sponsæ pulchritudinem, vel ob divitias, vel ob nobilitatem. Nihil horum erat in natura humana, quam copulavit sibi Dei Filius: quinimo secundum se deformis, pauperula et ignobilis erat; qualis Æthiopissa, quam duxit Moyses in figuram horum sponsalium, Exod. II. Miratur id S. Bernardus, serm. I. de epiphan. *Quid tantopere, inquit, declarat ejus misericordiam, quam quod ipsam suscepit miseriam? Quid ita pietate plenam, quam quod Dei Verbum propter nos factum est fenem? Sed nimirum Dei Filius sciebat rationem reddendi sponsam suam pulchram, divitem ac nobilem.*

Secundo, quia miranda unio facta est in his nuptiis. In aliis quidem nuptiis fiunt duo, hoc est, duæ personæ conjunctæ in carne una: at hic non duæ personæ, sed duæ naturæ, humana et divina, conjunguntur in persona una, divina scilicet, quæ velut gigas fortissimus sustinet humanam in sua hypostasi, ut bene in Ps. XVIII. appelletur primo sponsus deinde gigas: *Ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam.* Unde etiam factum ut

persona Verbi ab utraque natura communicationem acciperet idiomatum, et diceretur Deus homo, immortalis et mortalis, immensus et parvus, etc. Qua de re Damascenus, libro III. fidei orthodoxæ, capite IV. ait: « Cum de persona verba facimus, sive ab utraque parte simul, sive ab altera dumtaxat, eam appellemus, utriusque naturæ proprietate ipsi imponimus. Etenim Christus (quæ vox utrumque complectitur) et Deus et homo dicitur, et creatus et increatus, et passibilis, et impassibilis. Ac cum ab una parte Filius Dei, et Deus nuncupatur, conjunctæ naturæ, id est, carnis proprietates recepit. Nam, et Deus passibilis nominatur, et Dominus gloriæ in crucem actus; non qua Deus est, sed qua idem etiam homo est. Eodemque modo eum homo et Filius hominis appellatur, divinæ essentiae proprietates atque ornamenta suscepit. Puer enim ævo omni antiquior dicitur, et homo principii expers; non id quidem qua ratione puer et homo est, sed qua Deus omni ævo prior, ad extremum puer factus. Atque hic communicationis modus est: utraque videlicet natura proprietates suas cum altera communicat, propterea quod unam et eandem personam constituunt, mutuoque in se immanent. »

Tertio, quia nexus factus plane indissolubilis. Aliorum matrimoniorum nodum mors præseindit: at non item nodum Verbi divini cum natura humana, tam quoad corpus, quam quoad animam. Quamvis enim mors separavit animam Christi a corpore ad triduum, a Verbo tamen divino nec animam nec corpus potuit sejungere. Quod enim Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit.

Quarto, quia perfectio et consummatio hujus matrimonii contra naturæ ordinem facta est in passione et morte Christi, adeoque in lecto crucis, quando dixit: *Consummatum est.* Tunc enim factus est pater futuri sæculi, meruitque accipere prolem lectissimam et copiosissimam, Ecclesiam universam, de qua Isaias, cap. LIII. dixit: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Hoc semen seu hanc prolem peperit ei sponsa, caro humana, postquam ipse e latere effudit sanguinem et aquam: quo alluisse videtur Isaias, c. LX. quando dixit: *Filii tui de longe venient, et filia tua de latere surgent.* Cujus rei typus a Deo præmissus est in paradiso, quando e latere dormientis Adami sponsa ejus Eva formata fuit; sic enim per mortem Christi Ecclesia redempta, nata et instituta, formata et sanctificata est. Videmus hinc quantum obligati simus imprimis Deo Patri, qui has nuptias fecit Filio suo cum sponsa tam abjecta, ductus amore

ejus mere gratuito, juxta id Domini: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret,* Joan. III. Deinde, Filio ejus Domino nostro, qui tam vilem sponsam non repudiavit, sed per acerbissimam mortem suam ad vitam gratiæ et gloriæ regeneravit. Vere igitur *Benoni et filii doloris* sumus, qui doloribus oppressimus, ac plane enecavimus nostrum parentem. Sed et Virgini Deiparæ plurimum obligati sumus, quæ ad matrimonium hoc contrahendum, carnem suam immaculatam, velut sponsam, consentiendo dedit, quando dixit: *Fiat mihi secundum verbum tuum,* quæ si consensum non dedisset, nuptiæ istæ celebratæ non fuissent.

II. Nuptias celebravit cum Ecclesia, quam sibi despondit in cruce Dei Filius. Et de his intelligunt potissimum et plerique hanc parabolam: *Facit nuptias, inquit eo loco S. Hieronymus, Deus Christo et Ecclesiæ, quæ tam ex Judæis quam gentibus congregata est.* De hac sponsa loquitur Joannes Baptista, Joan. III. cum de Christo ait: *Qui habet sponsam sponsus est:* et apostolus ad Ephes. V. *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Contractæ fuerunt hæ nuptiæ et ratæ habitæ in cruce: consummabuntur et perficientur in die judicii, quando eam (in electis videlicet) e terra elevabit, et introducet in cœlestem suum thalamum. Paranympus harum nuptiarum fuit Joannes Rapt. quando suis testimoniis, baptismo et concionibus Judæos ad Christum ejusque fidem amplectendam disposuit ac præparavit.

Stupendæ etiam sunt hæ nuptiæ. Primo, quia in his sponsus nobilissimus sponsam accepit non solum vilem et ignobilem, sed etiam foedam et abominabilem, peccatis ingentibus et innumeris inquinatam; cujus typum gessit Rebecca, quando, camelo vecta, ad sponsum suum Isaac adducta fuit, Genesis, XXIV. ut advertit S. Ambrosius, libro I. de Abraham, capite IX. « Cum veheretur, inquit, camelo, venit ad sponsum, eo quod populus nationum belluina quadam horridus meritorum deformitate, qui formæ suæ nullum haberet decorem, fidem esset atque consensum Ecclesiæ recepturus. » Et quemadmodum Rebecca, conspecto Isaac sponso suo: *Tollens cito pallium, operuit se, ita et Ecclesia: Pallio, inquit Divus Gregorius, lib. I. moral. cap. XIV. se operire curavit; quia, viso Domino, infirmitatis suæ actiones erubuit:* nec immerito, erat enim, prius quam a sponso ablueretur, turpis ac deformis; uti exponit S. Chrysostomus, hom. XX. in epist. ad Ephesios: « Vis, inquit, audire ejus deformitatem? Audi Paulum dicentem: *Eratis enim aliquando tenebræ* (ad Ephesios

V.) *Quid est atrius tenebris? Et tamen tamquam prospiciosa, tamquam pro dilecta, tamquam pro admiranda, ita seipsum tradidit pro deformi.* Hoc mirans dicebat, apostolus: *Vix enim pro justo quis moritur?* (ad Rom. V.) Et cum talem accepisset, eam ornat et lavat. » Typus ejus erat etiam Moysis uxor, Num. XII. quæ cum Æthiopissa foret, nigra et deformis, vocabatur tamen *Sepphora, hoc est, pulchra,* ut vertit Chaldæus, et advertit S. Hieronymus, quemadmodum et Ecclesia nigra vocatur et formosa, Cant. I. quia prius nigra et deformis erat, postea sponso effecta est formosa.

Secundo, quia emit eam sanguine suo. Mos olim fuit apud Hebræos, imo et gentiles, ut sponsi emerent sponsas tum a parentibus, tum ab ipsismet. Ita David emit Michol, filiam Saulis, centum præputiis Philistæorum, adeoque cum certamine et periculo vitæ suæ, I. Reg. III. Jacob Rachelem servitio septem annorum, Genesis XXIX. Osee fornicariam sibi emit in uxorem quindecim argenteis, Ose. III. Saxones et Burgundiones trecentis solidis comparabant sibi uxores a parentibus, ut ibi Ribera scribit: Christus Dei Filius non certamine, non servitio præcise, multo minus pecunia emit sponsam suam Ecclesiam, sed pretioso sanguine suo: adeoque seipsum tradidit pro ea; nec una sanguinis profusione contentus, plures etiam obtulit, usque dum nihil amplius sanguinis haberet. Quis hic non obstupescat?

Tertio, quia amore sponsæ suæ, ut eam sibi devinciret ac desponderet, mira egit et ab ea perpressus est. Solent, qui sponsas ambiunt, earum amorem reciprocum quærere, et exstimulare variis obsequiis, blandis alloquiis, pretiosis muneribus; subinde suas opes splendido vestitu ipsis demonstrare; denique, ab eis illatas etiam injurias patienter sustinere. Omnia hæc Christus et fecit et pertulit, ut amorem sponsæ, sibi conciliaret. Circuivit undique synagogas Judæorum, et in iis verba fecit cœlestia et suavissima, verba vitæ æternæ, ita ut: *Mirarentur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus.* Ad hæc dedit sponsæ munera, quando turbas pavit optimis et sapidissimis panibus, sanavit omnis generis morbos, suscitavit mortuos, remisit peccata, innumera edidit miracula. Deinde, ab ipsa pertulit omnis generis injurias, alapas, sputa, flagella, accepit coronam spineam, affigi se in crucem, et ibi derideri atque occidi ab ea passus est: imo hæc omnia, quasi munera sponsæ, accepit, et: *Proposito sibi gaudio, sustinuit crucem,* ad Hebr. XII. Denique, pro hac tam injuria et ingrata sponsa, de salute periclitante in cruce

oravit, et ad eam amplexandam sua brachia expandit, ad exosculandam moriens caput inclinavit. Magnum et mirum suum amorem ostendit Catharina Henrici VIII. Anglorum regis legitima conjux per summum nefas ab eo repudiata, quando, jam morti proxima, non solum remisit ei summam illam injuriam, sed insuper litteris ad eum datis testata est, se ipsi per amorem adeo nihilominus adhærere, ut eum omnibus rebus creatis longissime anteferet, apud Florimund. l. VI. de ortu hæres. At quanto major est Christi amor erga ingratam sponsam suam, dum pro ipsa orat, ad eamque brachia sua extendit, dum ab ea occidi se et crucifigi patitur!

Quarto, quia sua omnia, adeoque seipsum, etiam sponsæ communicavit sua merita, virtutum exempla, sapientiam cœlestem, orationes, labores, passionem, ipsum denique nomen suum, ut a Christo, seu uncto, appellaremur *Christiani*; quomodo et uxores a viris suis passim mutare solent nomina; ut olim Caia a Caio, Cornelia a Cornelio, Sulamitis a Salomone. Servus ille Abrahami, Eliezer, nuptiarum inter Isaac et Rebeccam procurator et paronymus, inito fœdere nuptiali, statim munera novæ sponsæ contulit: *Prolatis vasis argenteis et aureis*, ait textus, *ac vestibus, dedit ea Rebecca pro munere*, Gen. XXIV. utique in figuram liberalitatis Christi, qua sponsam suam Ecclesiam ditaturus erat, uti docet Sanctus Ambrosius, lib. I. de Abraham, cap. IX. *Ubi, inquit, sponsata est Ecclesia, accepit vasa aurea et argentea in quibus est thesaurus fidei, quasi suam Ecclesiam Christus non videretur satis amare, nisi etiam locupletem facere. Denique, seipsum sponsæ suæ in cibum dedit, ut quam intime posset, ei conjungeretur, et familiarissime conversaretur tacito quodam colloquio, quali S. Ludovicus Franciæ rex, et B. Ægidius S. Francisci socius mutuo aspectu inter se mirifice, quasi angelorum colloquio, sine omni voce, suavissime tamen, conversati et recreati sunt, ut habetur in vita B. Ægidii. Sic plane in s. communionem: « Inter Verbum et animam, inquit S. Bernardus, serm. XLV. in Cant. ac si inter duos vicinos, familiaris admodum celebratur confabulatio. Cedit fastus ubi convalescit affectus. Adest dilectus, amovetur magister, rex disparet, dignitas exiit, reverentia ponitur, Verbum et anima habent linguas suas, quibus se alterutrum alloquantur; Verbi lingua, dignationis favor; animæ lingua, devotionis fervor. » Conjugum denique aliorum amor et beneficentia sæpe parum durat; at Christi Domini erga Ecclesiam charitas et largitas finem nescit, et in die judicii primum sese*

exeret, cum veniet sponsus in decore suo, assumpturus sponsam in regnum suum; uti indicat parabola illa de adventu sponsi, Matth. XXV.

III. Nuptias contraxit cum anima cujusque fidei, quando eam sibi despondit in baptismo per fidem et charitatem. Et de his loquitur apostolus, II. Cor. XI. cum ait: *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Verum sponsa ista non semper Christo adhæret duplici illo nexu, fidei et charitatis; sed in quibusdam fidelibus (qui scilicet in statu peccati sunt) nexu fidei solius. Quemadmodum enim in v. t. Abraham habuit Saram in primariam uxorem et dominam familiæ valde dilectam, et Agar in secundariam et ancillam familiæ parum dilectam: ita etiam Christus habet quasdam animas sibi desponsas per fidem et charitatem, quæ velut primariæ sponsæ et dominæ per dilectionem ipsi adhærent; alias vero sibi desponsas per solum fidem, quæ, velut ancillæ, non diliguntur. Filius Saræ hæres fuit stabiliū honorum patris sui: filius autem Agar non accepit nisi quædam mobilia bona et munera a parente. Ita qui per fidem et gratiam Christo adhærent, hæredes regni ejus cœlestis sunt: qui vero per fidem tantum, temporalia solum accipiunt bona.

Admirandæ etiam sunt hæ nuptiæ. Primo, quia Filii Dei cum vili et misera creatura atque ancilla sua. Ne tamen ob hanc tantam disparitatem dissidium aliquod oriretur, sponsus exanimavit semetipsum, et servi formam induit, ut sine diffidentia sponsa ipsi velut pari adhæret. Ad hæc ejus utilitatem sua nobilitate condecoravit, ejus paupertatem suis opibus ditavit.

Unde secundo, sponsus animæ sibi desponsæ omnia sua communia facit: potentiam, ut in ipso omnia possit; sapientiam et honorem, ipsum etiam Patrem, ut filia Dei appelletur, et cohæres sponsi. Hinc passim in Canticis bona sua ipsi communicare legitur, uti Cant. II. *Flores apparuerunt in terra nostra, hoc est, in terra mea et sponsæ meæ*. Unde Bernardus, sermone LIX. in Cant. *In terra, inquit, nostra, non plane principatum sonat vox ista, sed consortium, sed familiaritatem: tamquam sponsus hoc dicit, non tamquam Dominus*.

Tertio, conjugium hoc et amor ex parte sponsi perpetuus et indissolubilis est, quamdiu eum sponsa non repudiavit. Audiamus Augustinum, in Psalmo XC. *Non timeat sponsa, inquit, ne deseratur a sponso: non dimittit pignus suum. Quod pignus dedit? Sanguinem suum fudit. Quod pignus dedit? Spiritum sanctum suum misit. Talia pignora dimittit ille sponsus? Si non amaret, talia pignora non daret*. Potest quidem sponsa spon-

sum a se repellere; quod agit: *Si susceperit in cubile animæ suæ adulterum diabolum; si spiritus iræ, si invidia, si superbiæ, si impudiciæ ingressus fuerit ad animam, et receperit eum, etc. meretricata est cum eo*, inquit Origenes, homilia XII. in Levit. c. II. Verum nihilominus modo ad sponsum redeat et culpam deprecetur, mox ab eo in pristinum amorem et gratiam recipitur; quod sane inter homines rarum est. Hinc eam, Threnorum I. appellari in eo statu non viduam, sed: *Quasi viduam*, ait Sanctus Paschasius, libro I. in lament. Jeremiæ: « Quia, inquit, etsi ab sponso despicitur, sponsalitatibus tamen ejus jura manent, ut si redierit, prioraque dilectionis opera impleverit, sponsum saltem per pœnitentiam immortalitatemque recipiat. » Quinimo sponsus fugitivam, et adulteram sponsam insequitur, et ad se retrahere totis viribus et multis precibus conatur. Unde Canticorum V. ad ostium hujusmodi sponsus per noctem stans et pulsans ait: *Aperi mihi, soror mea, amica mea, immaculata mea; quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium, q. d. frigore crucior, et pluvia perfundor amore tui, donec rursus ad me redeas*. Hinc etiam non uxorem, sed sponsam eam appellat, quod amor ejus erga ipsam semper recens sit et fervens, qui in uxore tandem tepescit: *sororem vero, quia easte amat, ut advertit S. Bernard. c. III. de pass. Domini*.

Quarto, ex hoc castissimo conjugio sponsa, etsi in se vilis et ignobilis, nobilissimas gignit proles, quas describit Origenes, hom. XX. in XXV. Num. cum ait: « Dum igitur anima adhæret sponso suo, et audit verbum ejus, et ipsum complectitur, sine dubio ab ipso semen suscipit; et sicut ille dixit (Isaias, cap. XXVI.) De timore tuo, Domine in utero concepti, et parturivi, et spiritum salutis tuæ feci super terram. Inde nascetur generosa progenies, inde patientia, inde mansuetudo et charitas, atque omnium virtutum proles veneranda succedet ». Deinde, vicissim fœdas proles, quas anima adultera concipit e diabolo, explicat dicens: « Quod si infelix anima divini Verbi deliquerit sancta connubia, et in adulterinos se complexus diaboli tradiderit, generabit sine dubio etiam inde filios sed illos, de quibus scriptum est (Sap. III.) Filii autem adulterorum imperfecti erunt, et ex iniquo concubitu semen exterminabitur. Omnia ergo peccata filii sunt adulterii et filii fornicationis. » Sic ille.

Quinto, copulatur sponsus animæ sanctissima unione, quando ad cor ejus ingreditur in sacra communionem, ubi fiunt quasi duo in carne una, et communicat sponsus spiritum et virtutes suas pie communicatæ animæ, juxta id Salvatoris,

Joannis VI. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo*. Ita docet beatus Laurentius Justinianus, de triumph. Christi agone, c. II. « Dominus Jesus sponsæ suæ, inquit, pro amoris pignore, proque fœdere maritali, corporis et sanguinis sui sacramenta concessit, ut non solum in spiritu, verum etiam duo essent in carne una. »

Cum igitur ita se res habeat, cogitet jam anima fidelis, quid et quantum debeat Christo sponso suo. « Unde enim tibi, o humana anima, inquit Sanctus Bernardus, sermone II. dominicæ I. post epiphaniam; unde tibi hoc? Unde tam inestimabilis gloria, ut ejus sponsa merearis esse, in quem desiderant angeli prospicere? Unde tibi hoc, ut ipse sit sponsus tuus, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, ad cujus nutum universa mutantur? Quid retribuēs Domino pro omnibus quæ retribuit tibi, ut sis socia mensæ, socia regni, et socia thalami, ut introducat te rex in cubiculum suum? Vide quibus brachiis vicariæ charitatis redamandus et amplectendus sit, qui tanti te aestimavit, imo qui tanti te fecit. Desere sæculares affectus, sæculares mores dedisce, consuetudines noxias obliviscere. Quid enim putas? Nonne stat angelus Domini, qui fecit te medium, si forte (quod avertat ipse) alterum admiseris amatorem? Denique, nuptiale convivium in memoriam ei revocans: « Jam enim, inquit, desponsata es illi, jam nuptiarum prandium celebratur, nam cœna quidem in cœlo paratur; sed ibi vinum non deficit: inebriabimur enim ibi ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis ejus potabimur. »

CONCIO II.

BEATITUDO CŒLESTIS SIMILIS NUPTIIS.

I. Ibi invitati omnes sunt honorati. — II. Ibi gratiosa personarum varietas est. — III. Ibi erunt omnis generis oblectamenta. — IV. Ibi et choreæ.

THEMA.

Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Matthæi XXII.

Venio, auditores, invitaturus vos ad nuptias, easque plusquam regias, utpote cœlestes. Id vero mihi præcepit in hodierno evangelio rex cœli et terræ Deus, quando misit servos suos, ut vocarent invitatos ad nuptias. Invitati estis vos jam dudum in baptismo, et condixistis omnes quod velitis comparere. Jam nuptiæ in cœlo